

## Die Urkunden Pippins, 18

(C.) Pippinus rex Francorum vir inluster omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus domesticis vicariis centenariis vel omnes missos nostros discurrentes. Maximum regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia oportuna loca sanctorum vel ecclesiarum benivola deliberatione concedimus ac domino protegente et stabiliter perdurare confidimus. Igitur noverit sollertia vestra, qualiter nos ad monasterium qui dicitur Prumia, quem nos in honorem sancti Salvatoris a novo construximus opere, ubi Asuarius abba praeesse videtur, talem beneficium pro aeterna retributione visi fuimus ibidem indulsisse, ut in villas ipsius sancti loci, quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur vel quas deinceps in iure ipsius monasterii eiusque rectoribus voluerit divina pietas ampliare, nullus iudex publicus absque iussione nostra vel heredum nostrorum ad causas audiendo aut freda undique exigendum quoque tempore non praesumat ingredi; sed hoc ad ipsum monasterium eiusque rectoribus concessimus, ut sub emunitatis nomine sub tuitione vel defensione nostra seu heredum nostrorum debeant quieti in dei nomine residere. Statuentes ergo iubemus, ut neque vos neque iuniores aut successoresque vestri neque ulla publica iudiciaria potestas ullo umquam tempore in villas ubicumque in regno nostro ipsius monasterii Prumiense aut regia aut privatorum largitate conlatas aut qui inantea fuerint Christo propitio conlaturas, ad audiendas altercationes ingrediere aut freda de quaslibet causas exigere nec mansiones aut paratas vel fideiussores tollere non praesumatis; sed quicquid exinde aut de servientibus vel ecclesiasticis hominibus, qui sunt infra agros vel fines seu supra terra praedicti monasterii commanentes, fiscus aut de freda aut undecumque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salute in luminaribus ipsius suprascripti monasterii per manus agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen domini et animae nostrae remedium seu nostra subsequenti progenie plena devotione ad ipso monasterio in honore sancti Salvatoris indulsimus, nec regalis sublimitas nec cuiuslibet iudicum seva cupiditas refragare temptetur. Et ut hec auctoritas tam praesentis quam futuris temporibus inviolata deo adiutore permaneat, manus nostra subscriptionibus infra roborare decrevimus atque anulo nostro sigillare iussimus.

Signum domni et gloriosissimi Pippini regis (M.).

In dei nomine Bernericus in vice Baddilonis recognovit et subscripsit.

Data sub die III non. aug. anno XII regnante domno nostro Pippino gloriosissimo rege; actum Maslario palacio publico; in dei nomine feliciter amen.